

sequentibus, illum contradictionis redarguit, et acriter impugnat.

31. *Ex distinctione gratiæ generalis et specialis apud Semipelagianos, eorum ambigua dicta componuntur.* — *Gratia generalis apud Semipelagianos.*—In hoc dubio, tam ambigue et obscure loquuntur Cassianus et Faustus, ut vix possimus aliquid certum de illorum sententia statuere; unde multo magis incertum est quid alii sectatores hujus erroris in hoc puncto senserint, et an in eo una illorum omnium concors fuerit sententia. Quantum vero ex dictis auctoribus colligere possum, duplicem (ut supra adverti) Dei gratiam distinguebant, unam generalem omnibus hominibus bonis et malis, salvandis et damnandis, alteram specialiolem, quæ non omnibus datur. Priorem non dicebant fundari in hominis merito, sed in illa generali voluntate Dei, qua vult omnes homines salvos fieri. Ita constat ex epistolis Prosperi et Hilarii, et ex Fausto, lib. 1, cap. 17, ubi ponit quamdam attractionem, qua Deus omnes trahit, quantum in se est, et de illa intelligit verba Christi Joann. 6: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Si quis autem attente hos auctores legat, intelliget hanc gratiam generalem non esse, nisi vel legem naturalem cum libera facultate, vel externam prædicationem, aut doctrinam, vel quamlibet admonitionem, ut ex verbis Fausti supra ostendimus, et aperte sumitur ex Cassiano, dicta collat. 13, cap. 8, et paulo inferius iterum dicemus.

32. *Gratia specialis.*—Omnem autem illam gratiam specialiolem, id est, quæ non omnibus generaliter datur, sed quibusdam datur, sed quibusdam datur, quibus negatur, senserunt hi auctores, quibus datur, ex aliquo merito bonæ voluntatis dari, vel tanquam ex proximo merito, vel tanquam ex radice, modo supra explicato; quia necessarium putabant dari ex parte hominis rationem aliquam illius diversitatis, ne divina providentia, et distributio injusta vel irrationabilis esse videatur. Hæc enim fuit eorum præcipua ratio, ut ex epistola et scriptis allegatis aperte sumitur, quæ si vera est, in omnibus gratiis specialibus et in omnibus hominibus locum habet. Quod adeo verum est, ut etiam in parvulis quoad gratiam baptismi, et in adultis quoad prædicationem Evangelii, quæ quibusdam concessa est, et non aliis, eam invenire studuerint, et cum non inveniunt merita præterita, præsentia, vel aliquando futura, ad ea recurrunt quæ futura essent, si parvuli viverent, vel ad usum rationis

pervenirent, vel si adultis prædicaretur Evangelium, etc., quamvis (ut dixi) hoc postremum in Fausto vel Cassiano non reperiatur. Inter hos autem hoc discrimen invenio, quod Cassianus de causa parvulorum nihil dicit: Faustus vero illam attingens nihil respondet, nec causam discriminis assignat, sed reprehendendo eos qui occulta mysteria investigant, difficultatem fugit. In adultis vero Faustus nullam exceptionem propositæ regulæ, quia talis gratia ex merito humano conferatur, adhibet. Cassianus vero, in ultimis locis allegatis, exceptiones aliquas recognoscere videtur, ut in Matthæo, Paulo, et similibus, quos Deus supra omne illorum meritum specialiter vocavit. An vero id intellexerit de sola vocatione externa, vel etiam de interna, mihi non constat; quocumque autem modo senserint, non est consequenter locutus, ut illum Prosper allegatis locis convincit.

*An Semipelagiani senserint gratiæ donationem, propter meritum humanum, decretam esse a DEO certa lege, necne? Dubium 6.*

33. *Aliquorum expeditio in præsentis dubio.*—Sextum dubium est, an isti Massilienses posuerint hanc gratiæ donationem propter meritum nostrum humanum esse statutam certa lege ac promissione, ita ut habenti tale meritum infallibiliter detur talis gratia, vel sit ex quadam ordinaria Dei misericordia, vel providentia, quam interdum occulto suo iudicio mutat, vel non servat, nullam specialem gratiam conferendo illi qui suo libero arbitrio bene utitur. Quidam enim hoc posteriori modo sententiam Massiliensium interpretantur. Videturque fieri verisimile, quia neque in Cassiano, neque in Fausto mentionem aliquam illius divinæ legis vel promissionis invenimus. Item, quia illi ita ponebant hoc meritum ex parte hominis, ut nihilominus in Dei retributione veram rationem gratiæ defendere optaverint, et variis modis procuraverint; at vero hæc ratio gratiæ facilius servatur, si dicamus non dari tale donum quasi ex obligatione et necessitate, stante tali merito, sed ex misericordia, et ideo quibusdam dari, et aliis negari; ergo verisimilius est ita sensisse Massilienses. Denique quia illi non ponebant hoc meritum esse de condigno, ut mox videbimus: ergo nec credebant infallibilem esse illius mercedem.

34. *Resolutio vera.*—Nihilominus verum existimo mentem Semipelagianorum fuisse

ex definito Dei decreto, ac subinde ex lege statuta, ac promissione, esse necessariam connexionem inter tale meritum et gratiam, ita ut omni habenti tale meritum talis gratiæ portio seu merces sit repromissa. Probatur primo ex verbis Prosperi in dicta epistola; cum enim dixisset, ex istorum sententia: *Gratia Creatoris ita esse naturam humanam institutam, ut per discretionem boni et mali, ad cognitionem Dei, et obedientiam mandatorum suam possit dirigere voluntatem, et ad Christi gratiam petendo, pulsando, possit pervenire, et ideo accipiat, quia bono naturæ bene est usa,* subjungit: *Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum, nisi per sacramentum regenerationis, assumere, et ad hoc salutare donum omnes homines vocari voluerit, ut qui voluerint (utique credere), fiant filii Dei; qui non crediderint, pereant: ut Dei bonitas in hoc appareat, quod neminem repellat a vita.* Et infra dicit, *quantam quis habet facultatem ad malum, tantam habere ad bonum, parique momento animum moveri ad vitia et virtutem; quam (aiebant) bona appetentem gratia Dei foreat, mala sectantem damnatio justa suscipiat.* Tantam ergo sentiebant esse connexionem et consecutionem inter gratiam et bonum usum liberi arbitrii, quantam inter malum usum et pœnam: unde infra subjungit: *Quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, et auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Utrumque ergo censebant æqualiter esse stabilitum ac promissum certa lege Dei: at vita æterna sub conditione meritum omnibus est promissa, certa Dei lege; ergo pari modo censebant gratiæ auxilium promissum esse bonæ voluntati naturali. Et cætera quæ ibi refert eundem sensum plane confirmant.

35. Nec minus idem ostendunt quæ refert Hilarius, ut ex illis verbis patet: *Quod dicitur, crede et salvus eris, unum horum exigi asserunt, aliud offerri, ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur, deinde tribuatur.* Ecce pactum expressum, et promissio sub conditione fidei, seu bonæ voluntatis credendi, vel salutis. Deinde ex hac certa lege rationem reddunt inter electos et rejectos, et nolunt reddi ullo modo ex sola Dei voluntate. Unde ait: *Nec ad incertum voluntatis Dei duci se volunt, unde eis quantum putant, ad obtinendum, vel amittendum, evidens est qualecumque*

*initium voluntatis, etc.; ergo ex duobus æque bene incipientibus libero arbitrio, non datur uni gratia, alteri negatur, ex incerto divinæ voluntatis; ergo ex certa lege datur. Tandem certum est in Scriptura promissam esse fidei et orationi impetrationem, et pœnitentiæ peccatorum remissionem, et ita ex certa lege conferri; at vero isti Semipelagiani loca illa Scripturæ intelligunt de fide propriis viribus concepta, vel saltem inchoata, ut vidimus, et de oratione humana, seu solis viribus humanis facta, ut ex Concil. Arausic., can. 5 et 6 aperte colligitur. Et similiter Cassian., dicta Collat. 13, c. 13, de David inquit: *Quod peccatum suum humiliatus agnoscit, proprie libertatis est opus; quod vero sub brevissimo temporis puncto indulgentiam tantorum criminum promeretur, Domini miserentis est donum.* Ergo, ex istorum sententia, retributio talis voluntatis ex certa et infallibili lege conceditur.*

36. *Ad semipelagianismum quoque spectat asserere quod datur quibusdam gratia pro merito humano, quibusdam non datur.*—Addo vero nihilominus, licet forte aliqui ex Massiliensibus dicerent, non semper, neque omnibus habentibus tale meritum humanum, dari gratiam, aliquibus autem vel sæpe illam dari intuitu talis meriti, et in aliquam ejus retributionem, semper hoc ad reliquias Pelagianorum pertinere. Ita probat late Prosper contra Collat. 13, cap. 33 et sequentibus. Breviter autem patet, quia qui ita senserint, necesse est ut fateantur, et naturam de se habere vires ad promerendam aliquo modo gratiam, et gratiam aliquando et aliquibus, licet non semper, nec omnibus, propter humanum meritum dari, et initium salutis in aliquibus esse a libero arbitrio, et non a gratia: et similiter in multis gratiam esse pedisequam, non ducem liberi arbitrii, quæ omnia ad errorem Pelagii pertinent, et in Semipelagianis, quocumque sensu, quo in præsentis dubitatione locuti fuerint, damnata sunt. Nam divina Scriptura non de quibusdam, sed de omnibus ait: *Quis prior dedit ei, et retribuetur illi? et: Quid habes quod non accepisti? et: Sine me nihil potestis facere,* et similia quæ late Augustinus expendit libro de Prædestinatione Sanctorum, et Prosper supra, et tractabimus late inferius de auxiliis prævenientibus disserendo, ubi etiam ostendemus rationem gratiæ destrui vel in omnibus, vel in pluribus, aut in paucis, si eis dicatur gratia dari propter tale meritum. Et ita facile expediuntur conjecturæ in contrarium positæ.



De quo genere meriti Semipelagiani loquerentur. Dubium 7.

37. *Quod de merito de condigno locuti non videantur.* — Propter ultimam vero conjecturam in fine n. 33 adductam, propono dubium septimum: An Massilienses sententiam suam de merito perfecto, seu de condigno, vel de imperfecto, quod impetratorium, vel de congruo appellari solet, intellexerint? Illos enim non fuisse locutos de merito de condigno, colligi imprimis potest ex illis verbis, quæ de Massiliensibus profert Hilarius in sua epistola: *Nec negari gratiam, si dicatur talis voluntas præcedere, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat.* Quasi dicat tam exiguum esse illud meritum, ut rationem gratiæ in præmio non excludat; igitur non censebant illud esse meritum de condigno. Multo vero clarius id tradere videtur Cassianus, lib. 12 de Institut. reuertant; nam postquam cap. 11 multa in hanc sententiam dixit, cap. 13 adjungit: *Quantumlibet jejuniorum, vigiliarum, ac lectionis labor fuerit impensus, condignus esse non poterit, qui hæc virtute sui laboris oblineat. Nunquam enim divinum munus labor proprius, humanæ compensabit industria, nisi desideranti fuerit divina miseratione concessum.* Et addit cap. 14: *Dicimus secundum Salvatoris sententiam, dari quidem petentibus, et aperiri pulsantibus, et a quærentibus inveniri, sed petitionem, et inquisitionem, et pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia DEI id, quod petimus, dederit, vel aperuerit cum pulsamus, vel illud quod quærimus fecerit inveniri. Præsto est enim occasione sibi tantummodo a nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.* Ubi aperte et condignitatem operis aut meriti negat, et solum per modum occasionis a Deo expectari profitetur. Unde in Collat. 13, cap. 13, ait *Deum occasiones quærerere, quibus humanæ segnitæ torpore discusso, non irratiōnabilis munificentia suæ largitas videatur, dum eam sub colore cujusdam desiderii ac laboris impartit, et nihilominus gratia Dei gratuita perseveret, dum exiguis quibusdam, parvisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inestimabili tribuit largitate.*

38. *Suasio opposita ex Cassiano.* — In contrarium vero est, quia meritum gloriæ est meritum de condigno; at vero Semipelagiani ita loquuntur de hoc merito laboris, seu conatus humani, respectu gratiæ, sicut de merito glo-

riæ per hujus vitæ opera et labores: ergo. Minor patet ex Cassiani verbis dicto lib. 12, cap. 11; rationem illius meriti, ejusque exiguitatem reddens, inquit: *Quia totius bonitatis effectus ab illius profuit gratia, qui tantam perennitatem beatitudinis, et immensitatem gloriæ exigua voluntati brevique ac parvo cursui nostro multiplicata largitate donavit.* Et cap. 15 refert et approbat suorum ducum et spiritualium magistrorum submissionem animi, ac humilitatem. Nam, licet laborum meritum necessarium esse dicerent, illud tamen magis gratiæ quam laboribus suis tribuebant: *Et idcirco (ait) futuræ vitæ stipendia non operum sperare se merito, sed misericordia Domini proclamabant, nihil sibi de tanta circumspeditione cordis aliorum comparatione donantes, quippe qui hanc ipsam non suæ industrie, sed gratiæ divinæ adscribebant.* Ubi eadem regula metiuntur meritum stipendii vitæ futuræ, et meritum perfectionis, et gratiæ in præsentī vita. Et ita in Collat. 13, cap. 13, explicat exiguitatem illius meriti humani laboris, vel desiderii respectu gratiæ, ex Pauli testimoniis dicentis: *Quod in præsentī est momentaneum et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate (vel ut ipse legit), absque comparatione, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 2 Corinth. 4, et illud Romanor. 8: Non sunt condignæ passiones hujus sæculi, etc., unde subinfert: Quantumlibet ergo enisa fuerit humana fragilitas, futuræ retributioni par esse non poterat, nec ita laboribus suis divinum imminuet gratiam, ut non semper gratuita perseveret.* Æqualem ergo rationem meriti ponebant in proprio labore liberi arbitrii, respectu gratiæ et gloriæ; at respectu gloriæ meritum perfectum, quale esse potest in homine puro: ergo idem ponebant in libero arbitrio respectu gratiæ. Accedit non minorem rationem debiti, nec minorem connexionem cum præmio in uno, quam in alio merito possuisse; sicut ergo unum est meritum justitiæ, ita et alterum ex eorum sententia.

39. *Incerta est in præsentī dubio Semipelagianorum mens, verisimilius tamen non agnovisse in merito humano condignitatem.* — Sed, in hoc dubio, incertum mihi est quid de illo merito gloriæ senserint Semipelagiani; fortasse enim nullam veram condignitatem in illo ponebant, sed acceptationem Dei, eamque vocabant gratiam et misericordiam, quia est supra valorem operis et qualicumque laboris humani, etiamsi interdum tantus vel tam diuturnus sit, ut sine Dei gratia perfici non pos-

sit. Unde Gennadius, in Vita Fausti refert eum docuisse: *Quidquid libertas arbitrii pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum.* Et idem Faustus, in Epist. ad Lucidum: *Totis (ait) viribus desudantes, ne gratia evacuetur in nobis, quidquid de manu Domini susceperimus, donum pronuntiemus esse, non pretium, scientes laboris ipsius fructum officii rem esse, non meritum.* Sive autem ita senserint de merito gloriæ, sive non, certum est multo minorem rationem meriti cogitare potuisse in illo (ut sic dicam) initiali merito primæ gratiæ auxiliantis, quam in merito laboris postea perfecti per gratiam, quia illud primum erat mere humanum, ac subinde maxime imperfectum: hoc vero est nobilioris ordinis ratione gratiæ, et ideo, si hoc posterius dicebant non esse ex condignitate, sed ex acceptatione, multo magis illud prius. Quapropter verisimilius absolute videtur non possuisse meritum de condigno in illo initio gratiæ, sed imperfectum et exiguum, quod Deo tantum quamdam occasionem gratiæ suæ communicandæ tribuat. Sic enim de illo merito loquebantur Pelagiani, et poterant etiam impetratorium vocare, ut interdum loquitur Augustinus epist. 105, quia per invocationem humanam, gratiam etiam impetrari dicebant. Unde erat illud meritum aliquo modo simile illi, quod nunc de congruo appellamus, de quo infra suis locis dicemus. Quomodoque vero illi intellexerint dari gratiam propter tale meritum, errarunt, et eorum sententia damnata est, ut infra suo loco videbimus.

*Quo pacto Semipelagiani rationem gratiæ, quam verbis profitebantur, cum suo illo merito humano conciliarent, præsertim addendo etiam cogitationes sanctas a DEO esse.* Dubium 8.

40. *Ad primum dubii propositi punctum.* — *Prima conciliatio.* — *Refellitur tripliciter.* — Octavum et ultimum dubium est, quomodo cum illo humano merito veram gratiæ rationem Massilienses componerent, ac subinde an uno vel multiplici sensu de gratia loquerentur. Et hæc etiam difficultas alia spectat, quomodo, non obstante illo merito, dicerent, non solum opera, sed etiam voluntates, et cogitationes sanctas ex Deo habere principium, qui nobis initium sanctæ voluntatis inspirat. Circa primum punctum, tres modos invenio, quibus Semipelagiani meritum illud cum gratia con-

ciliare cupiebant. Primus est, distinguendo inter opera et affectum salutis, et dicendo affectum non computari inter opera, ideoque, licet auxilium ad operandam salutem detur ex merito illius affectus, nihilominus verum esse ad omnia salutis opera esse necessariam gratiam. Sic de illis refert Hilarius: *Neque alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita, ac supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari.* Sed hæc sola evasio sufficere non poterat, propter multa. Primo, quia negari non potest quin desiderium salutis sit aliquod liberum opus voluntatis, et ad salutem non solum utile, verum etiam necessarium. Secundo, quia illud desiderium supponit bonam et sanctam cogitationem; ergo si ille affectus non est ex gratia, multo minus sancta cogitatio, quæ antecedit, erit ex gratia; hoc autem repugnat alteri eorum assertioni, qua dicebant non tantum omne opus bonum, sed etiam omnes sanctas cogitationes esse ex gratia. Tertio, quia, esto desiderium illud non annumeretur operibus salutis, nihilominus, si ob meritum ejus datur gratia ad cætera opera seu cogitationes, jam illa non est gratia, quia si ex meritis, jam non est gratia. Neque refert quod Paulus non dixerit: *Si ex meritis, sed: Si ex operibus;* tum quia solum loquitur de operibus, ratione meriti quod in eis esse potest; tum etiam quia opera vocat omnes actiones humanas, ut sunt a solo libero arbitrio.

41. *Secunda conciliatio Semipelagianorum.* — *Reficitur dupliciter.* — Addebant ergo alium modum expediendi has difficultates, extenuando illud meritum, quod alioqui ita magnificabant, ut primariam rationem salutis obtinendæ, et distinguendi salvandos a damnandis in illo merito ponerent. Nihilominus tamen dicebant meritum illud adeo esse exiguum, ut rationem gratiæ in auxilio, quod propter illud datur, non impediret. Ita ostendunt verba Hilarii: *Nec negari gratiam (supple, dicunt) si præcedat hominis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non tamen ipsa quidpiam in ea, scilicet sanitate, valeat.* Idemque colligi potest ex multis aliis, quæ in proxime præcedenti dubio allegavimus. Nihilominus hæc etiam evasio satisfacere non poterat. Primo, quia permissio et non concessio, quod aliquo modo rationem gratiæ tuerentur; nullo modo salvare poterant aliam assertionem, qua dicebant omnem sanctam operationem et cogitationem ex Deo habere principium, nam illud qualecumque meritum in aliqua bona





actione vel operatione fundatum est, et aliquam sanctam cogitationem supponit, Deus autem nec illius operationis, nec cogitationis dicitur esse principium, ex Semipelagianorum sententia. Secundo, quia revera quaecumque fingatur illud meritum, si non est fundatum in gratia, destruit rationem gratiæ in illo præmio, seu auxilio quod propter illud datur, ut recte tradit Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum, capite secundo, et infra late suo loco tractabimus.

42. *Tertia excogitata conciliatio.*— Tandem tertiam rationem cogitarunt, dicentes illud meritum non excludere rationem gratiæ, quia etiam illud fundatur in gratia liberalis ac gratuitæ vocationis. Atque ita propositionem alteram etiam explicabant, et conciliabant, dicentes gratiam esse initium omnis sanctæ operationis et cogitationis, quia ante omnia præcedit gratuita vocatio. Unde dicebant illos prædestinasse Deum, quos gratis vocatos dignos futuros electione prævidit, ut refert Prosper in epistola ad Augustinum; ratione cujus etiam dicebant, ad incipiendum, proficiendum, et ad perseverandum in bono, necessariam esse homini Dei gratiam, ut refert Prosper in epistola ad Ruffinum in initio, et latius contra Collat., cap. 3, ubi, ex verbis Cassiani, vocationem illam declarat per illa verba: *Cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis initia sanctæ voluntatis inspirat.* Et infra: *Nostrum vero est, ut quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur,* etc. Quæ verba ipse laudat, et definitionem catholicissimam appellat, utique si in vero et legitimo sensu traderetur. Sic enim Augustinus quæst. 2 ad Simplic., rationem gratiæ revocat ad gratuitam vocationem. Et lib. de Prædestinatione Sanctorum, et epist. 103, fatetur nos per fidem mereri remissionem peccatorum, neque id repugnare gratiæ, quia ipsa fides est donum Dei, a divina vocatione procedens, licet sine liberi arbitrii cooperatione non habeatur.

43. *Rejicitur tertia conciliatio.*— At vero Semipelagiani in sensu longe diverso loquebantur. Illam enim gratiam, seu vocationem antecedentem bonæ voluntatis et sanctæ cogitationis initium, solum censebant esse prædicationem, aut legem, quam sufficere dicebant, ut voluntas pro sola libertate sua inciperet velle, credere, et desiderare salutem. Et ita nullum verum auxilium gratiæ ad illud meritum ponebant, ideoque neque in vero sensu dicebant, initium sanctæ cogitationis, et bonæ voluntatis esse ex Deo auxiliante per gratiam,

nec veram rationem gratiæ in primo Dei auxilio salvabant, quia meritum illud non procedebat ex vera gratia interna. Ita verborum ambiguitatem aperuit Prosper dicta epistola ad Ruffin., ubi non de Pelagianis tantum, sed de Semipelagianis loquens ait: *Sed in hac professione quomodo vasa iræ moliantur irrepere, ipsa Dei gratia vasis misericordiæ revelavit. Intellectum est enim, saluberrimeque prospectum, hoc tantum eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio sit magistra, sequere per cohortationem, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perque terrores extrinsecus iudicio ejus ostendat, quo unusquisque secundum voluntatis suæ motum, si quesierit, inveniat; si petierit, recipiat; si pulsaverit, introeat.* In quibus verbis indicat Semipelagianos posuisse gratiam illam externam, non solum pro initio salutis, sed etiam pro toto progressu, quod est valde probabile, juxta modum explicatum in dub. 3 et 4. Multo autem certius est, hoc sensisse de illa gratia, quam dicebant esse initium primi humani meriti. Unde idem Prosper, in epistola ad Augustinum, sic inquit: *Quidam vero horum in tantum a pelagianis semitis non declinant, ut cum ad confitentiam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, ne, si meritis redditur, frustra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia neque existentem, liberi arbitrii et rationalem gratia creatoris instituat, ut per discretionem boni et mali, et ad cognitionem Dei, et ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire.* Et infra expresse declarat, illam vocationem, quam ponebant Semipelagiani, fuisse, vel per legem naturalem, vel per scriptam, vel per evangelicam prædicationem. Idemque valet quod Hilarius refert, eos asseruisse, *inutilem esse exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correctio valeat excitare. Quod quidem inesse naturæ sic confitentur, ut hoc ipso, quod ignorantem veritas prædicatur, ad beneficium præsentis gratiæ referendum sit.* Nullam ergo aliam internam gratiam, nec altiore excitacionem præcedere sentiebant. Quod etiam ex verbis Cassiani et Fausti in præcedenti capite animadvertimus.

44. *Semipelagiani cum Pelagianis convenisse in æquivocatione gratiæ.*— Ex quibus omnibus manifestum est Massilienses ambigue

et æquivoce usos fuisse nomine gratiæ, et in hoc (inter alia) non omnino ab errore, seu fraude Pelagianorum discessisse, quod libertatem ipsam, vel legem, aut doctrinam gratiam vocarent, et sub hac gratiæ appellatione meritum gratiæ pure humanum introducere vellet: *Ut unusquisque bono naturæ usus ad salvantem gratiam, initialis gratiæ merito perveniat,* sicut de illis Prosper refert. Atque ita per initialem gratiam salvabant, et rationem, seu appellationem gratiæ in salvante gratia; et alteram assertionem, quod initium omnis boni sit ex Deo. Sed frustra, et fraudulenter. Quia nec sola illa naturalis, vel externa gratia tollit, quin homo suis solis viribus gratiam salvantem mereatur, et consequenter desinat esse gratia; nec initium totius salutis reducitur in Deum, ut salutis operatorem, sed ut auctorem, vel doctorem, aut legislatorem naturæ. Atque ita satis hic error et omnes ejus latebræ investigatæ et explicatæ videntur.

45. *Recensentur et alio remittuntur cætera quæ in semipelagianismo notantur.*— Præter ea, vero, quæ animadvertimus, solent alia multa in his Massiliensibus notari, quæ nos omittimus, quia vel ad materiam de Prædestinatione pertinent, et ibi tractata sunt, vel ad semipelagianismum non spectant, nisi fortasse ab ipsis fuerint male intellecta, quod postea videbimus. In priori ordine ponimus omnia quæ tradunt de causa prædestinationis, ex parte hominis sola sua libertate operantis, vel ex parte operum, quæ nunquam erunt, et sub conditione prævidet Deus esse futura, si hoc vel illud fieret; et si quæ sunt similia. In posteriori ordine numeramus, quod dixerint hominem, per lapsum, non amisisse iudicium rationis inter bonum et malum, neque omnino amisisse facultatem naturalem bene operandi. Item in natura hominis esse innata quædam virtutis semina, quæ ad perfectionem, nisi per gratiam, pervenire non possunt. Hæc enim recte intellecta, catholicam doctrinam continent; an vero in eorum intelligentia aliquid excesserint Massilienses, non potest hoc loco expendi, donec res ipsæ tractentur. Aliqui etiam reprehendunt Semipelagianos, eo quod dixerint, Deum præscire omnia, non tamen omnia prædestinare, et præscire futura libera, quia futura sunt; non autem ideo esse futura, quia Deus illa futura præscivit. Sed hæc non pertinent ad semipelagianismum, sed ad doctrinam Patrum, quos Ecclesia recipit, ac veneratur, ut alibi est a nobis ex professo tractatum, et in sequentibus per occasionem attin-

gemus. Et ideo de hoc errore, quatenus ad præsens spectat, hæc sufficiunt.

## CAPUT VII.

DE ERRORE LUTHERI, ET CALVINI, ET SECTARIORUM, CIRCA GRATIAM DEI ET LIBERUM ARBITRIUM.

1. *Veterem Prædestinatorum hæresim Novatores excitarunt.*— Notavimus in cap. 3, sub finem vitæ Augustini, vel paulo post ejus tempora, subortam fuisse hæresim Prædestinatorum, qui, sub nomine et specie gratiæ, fatalem quamdam necessitatem in humanis actionibus introducebant, dicentes, nec bona opera quidquam prodesse, nec mala obesse ad salutem, quia prædestinatio DEI sola, quos elegit, salvat, et quos rejicit, damnat, quidquid homines operentur. Et hunc errorem ortum esse ex falsa intelligentia doctrinæ Augustini, ibi etiam retulimus, sumique potest ex epistola 46 Augustini, quam scripsit ad sedandam turbationem in quodam monasterio ortam, eo quod quidam sic prædicarent gratiam, ut libertatem et iudicium Dei secundum nostrorum operum qualitatem negarent. Referunt item Prosper et Hilarius, in principio turbatos fuisse Massilienses, quia credebant, vel timebant, hoc incommodum sequi ex doctrina Augustini; unde credibile est Faustum, et alios ex Gallis, sub colore impugnandi hunc errorem, doctrinam Augustini impugnasse. Hanc igitur hæresim hujus temporis novatores excitarunt, et cum Prædestinatorum insaniam in assertionem conveniunt, licet ex diversis principiis, et cum admixtione plurium errorum, quos in præsentem præmittere et explicare necessarium est; nam catholica veritas inter hos extremos errores versatur, et ideo inter eos caute incedere necesse est. Quia, ut dixit Augustinus in principio libri de Gratia et libero Arbitrio, et lib. 2 de Peccat. merit. et remiss., cap. 18, et tota epist. 46, obscurissima est de gratia et libero arbitrio quæstio, et cum magno periculo in alterutram partem declinat, ideoque tam qui negant liberum arbitrium, ut gratiam defendant, quam qui e converso pro libero arbitrio contra gratiam pugnant, diligentissime cavendi sunt, et media via incedendum est, quam veritas catholica profitetur.

2. *Primus error, ejusque fautores.*— Primum ergo fundamentum Novatorum est, pos peccatum non mansisse in homine liberum ar-